Fragmentarium

Uniuersis presentes literas inspecturis Decanus singulique Magistri facultatis Theologiæ in uenerabili florentique et fructifero studio Parisiensi salutem in eo qui est omnium uera salus Cum uniuersi fidei catholicæ cultores, tam naturali æquitate quam Diuinæ legis præcepto sint astricti ut fidele testimonium perhibeant ueritati multo magis conuenit ut Magistri sacræ Theologiæ professores qui ueritatem de Diuinis scrutantur et in ea alios instruant et informant ut sic nec amore uel fauore, aut alia quacunque occasione deuient a rectitudine veritatis et rationis. Cum igitur non solum fama referente, sed ipsius rei euidentia declarante ueraciter nobis constet dilectum nostrum uenerabilem et discretum uirum Magistrum Joannem Michaelem Diœcesis Lausannensis in sacra Theologia Baccalaureum uita moribus et scientia fore multipliciter commendabilem. Volentes quantum nobis incumbit in hac parte ueritati testimonium perhibere tenore præsentium notum facimus tam præsentibus quam futuris quod præfatus Magister Joannes Michael gradum Baccalaureatus anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo die decima septima mensis Maii examinibus rigorosis secundum prædictæ nostræ Theologicæ facultatis statuta et consuetudines in eadem facultate Theologiæ Parisiensi legitime est adeptus In cuius rei testimonium sigillum præfatæ nostræ Theologicæ facultatis literis præsentibus duximus apponendum. Datum Parisiis in nostra congregatione generali apud collegium Sorbonæ solemniter celebrata Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Die v° prima mensis Augusti.

Approbo rasuram / septimo Die vero prima

Goux

A. D. 1577. — Deux diplômes de l'Université de Paris.

Fribourg (Suisse). Archives du couvent des Cordeliers.

123

License: public_domain – Various Locations, Generic Collection, , Planche 123 – Franz Steffens, La Paléographie Latine (https://fragmentarium.ms/view/page/F-2fh6/7408/59704)